

*circa fin.* ubi etiam notabiliter subjungit, quod reus leviter dimitti debeat à torturâ, & manus ejus relaxari, ut extra torturam eò facilius & melius confiteri possit, *Bocer. de tort. c. 5. num. 2.* Quod si hîc quærat: Quonam tempore ante, vel post cibum reus ad quæstionem abripi debeat? Respondemus, hoc nullâ certâ regulâ juris esse definitum, dicunt tamen Dd. nostri, quod quando bibit, vel comedit reus, Judex ad minimum expectare debeat cum torturâ quinque horas, donec aliqua fiat digestio, ne videlicet propter torturam vertatur stomachus, & evomendo patiatur reus, & sic examinari commodè non possit, ut post *Marsilium*, *Farin. Dely. tradit, Metzg. cons. crimin. i. nu. 45. 46. in resolut. de torturis, concl. 186.* *Herm. Goëhaus. in processu de lamiis, tit. 3. in notis H.* ubi refert *J. Cros* Colonienses in consilio, quod extat apud *Cothmannum vol. 3. resp. 29. n. 247.* decem vel octo horas requirere, sed putat tamen quinq; vel sex sufficere. De variis tormentorum generibus, sive gradibus eleganter agunt, *Dn. Matth. Steph. hîc, num. 3.* *Thom. Metzg. in resolutionibus de torturâ, concl. 153. cum seqq. & concl. 163. cum seqq. tractat;* quibus personis tortura inferri possit; quibus non?

## ARTICULUS LIX.

*Tortura vulnerati.*

1. Accusatus, si periculum sit, ne inter, vel post tormenta ob vulnera expiret, eâ arte torquendus est, ne quid damni accipiat, *Matth. Steph. hîc.* Afflictio enim adflicto addenda non est, ut *Iust. Gobler. hîc, in auctario,* eleganter & doctè tradit; quem omninò vide.

2. Hoc in casu conscientiosus Judex Medicorum & Chirurgorum judicia adhibere debet. De vulnerum materiâ copiosè tractant allegati auctores à *Zieritz. hîc, verb. vulnera unde mortis periculum.* Vide *tom. 2. cons. crim. à Zieritz. Coll. cons. 107. & notas meas ad art. 147.*

3. Si prægnans mulier propter periculum partus torqueri nequit, *l. 3. ff. de poen. l. Imperator, ff. de stat. hom.* Eleganter hac de re *Phil. Camer. cent. 3. medit. histor. c. 51. p. 192.* Et non refert, sive sit valdè gravida, & quasi proxima partui, sive gravida tantùm per spacium unius mensis; quo tamen in casu non creditur mulieri, dicenti se esse gravidam, ad effugiendam torturam, sed si Judex dubitarit, consulere eâ de re debet obstetrices, *Iul. Clar. q. 64. vers. quero modo,* ubi subjungit, quod nec statim quidem post partum editum torqueri possit hujusmodi mulier, sed expectandi sint quadraginta dies ad minimum: & mulier prægnans non potest condemnari ad mortem ante suum partum, *Sebast. Med. in tractat. mors omnia solvit, par. 1. nu. 153.* Sed an mulier prægnans tantùm terri possit? Respondeo cum *Gomezio Metzg. de tort. concl. 158.* Quia ex terrore etiam abortus sequi potest.

## ARTICULUS LX.

*Conclusio, & epilogus materie de torturâ.*

Imperator hîc requirit, ut quæstioni fides habeatur, indiciorum ante torturam

turam